



Hierin fehlte Nr. 8

am 10. 4. 1917.

Suchies.



34  
33  
SIMONIS PAVLI HILSCHERI

MEDICINAE DOCTORIS

THEORETICES PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII SERENIS-  
SIMIQVE DVCIS SAXONIS GOTHANI ET ALTENBVR-  
GENSIS CONSILIARII AVLICI

H. T.

FACVLTATIS MEDICAE DECANI

---

PROLVSIONE

DE

ANIMI LABORIBVS, EGREGIO  
SANITATIS, VITAE LONGAE  
AC HONORVM PRAESIDIO

---

PVBLICAE INVITATIONI

AD

DISSERTATIONEM INAUGVRALEM

DE

CADAVERIS INSPECTIONE

SIVE

SECTIONE LEGALI

D. XXVIII. NOVEMBRIS HABENDAM

PRAEMISSA.

---

IENAE D. XXV. NOVEMBRIS MDCCXLII.

---

LITTERIS SCHILLIANIS,



THEORETICO-PRACTICAE  
MEDIKINAE INSTITUTIONES  
SIVE  
CURSUS  
FACULTATIS MEDICINAE  
PROFESSORIS  
ANNI LXXXVIII. BEROLINAE  
SANTAE VITAE LONGAE  
AD S. MARTINUM  
PRAEFATIO  
DISSECTATIONES  
CADAVERIS IN SECTIOIBUS  
SECTIONIBUS  
DE  
DE  
DE  
DE







uemadmodum, natura rerum ita iubente, artes antiquissimis iam temporibus in nobiles seu liberales, et ignobiles seu mechanicas diuisae fuere, sicut hoc ipsum praesertim a GALENO praeclare factum est *Oratione suasoria ad artes*; ubi vernacula sua eas λογικὰς et χειρονακτικὰς appellat, atque istas in munere et excellentia animi esse positas, has vero corporis laboribus tractari docet: ita ex his manifestissimum est, alios labores esse corporis, alios animi.

Licet vero communis fere regnet opinio, animi labores seu bonarum litterarum studia valde sanitati obesse: attamen scriptioe hac breuissime exponendi nobis mens est: *quod animi labores sint egregium sanitatis, vitae longae ac honorum praesidium.*

Longissime itaque absit a litterarum studiis iniuria, eadem ordine, et, vt decet, tractata cultores suos multare malo hypochondriaco, cachexia, vertigine, phthisi, oculorum lippitudine, aliisque multis corporis vitiis, quae vulgo morbi eruditorum dici solent. Sane non sunt hae corporis infirmitates fructus studiorum amari, sed vel ab eorum intemperantia vel ab aliis causis nascuntur. Etenim liberalium artium studia maius capiunt incrementum ordine, quam importunis lucubracionibus. Genuini illorum cultores insignem percipiunt vo-





luptatis requiem in iis, purumque gaudium, quod vegetum et aequalem plane omnium fluidorum vitalium motum in corpore gignit. Hoc praesenti vniuersa secretio animalis et ipsa nutritio bene succedit. Si igitur in literatis, animi laboribus seu exercitiis accedant, prout par est, corporis concinna exercitatio, somnus sufficiens, et in reliquis rebus non naturalibus salubre regimen, studia erunt insigne sanitatis praesidium. Praeclare hoc ipsum agnouit doctissimus SANCTORIVS, quare in *Medicina Statica* inquit: *Duo sunt exercitia, alterum corporis et alterum animi: corporis euacuat sensibilia excrementa, animi insensibilia magis.* Praeterea nobilibus artibus occupatorum hominum mentes et corpora a turpi vitiorum contagio, et Bacchi, Veneris, Eridis, Murciaeque illecebris tuta praestantur. Etenim quis ignorat, quamplurimos homines horum brutorum numinum pernicioso cultu in grauissimos praecipitari morbos? Tandem labores animi rite tractatos insignae praebere sanitatis praesidium, ipsa euincit experientia. Quot enim non reperiuntur eruditione clari viri, optima gaudentes valetudine, imo senio summo simul venerabiles. In huius asserti veritatem perdoctam ac lectu dignam *illustris quondam in Academia Altdorffina Professor Medicus et Societ. Nat. curios. Praeses dignissimus, IO. IACOBVS BAIERVS*, conscripsit *dissertationem epistolarem* D. XXIII. Ianuarii MDCCV. ad venerabilem istius Facultatis Seniores, IACOBVM PANCRATIUM BRVNONEM, qua ipsi natalem LXXVI. gratulatus est, et quotidem singulari eruditione ac fama conspicuos medicos recensuit, qui omnes ultra annum LXXVI. vitam suam produxere, admodum vero multi ex his ultra terminum dictum longe fuere progressi.

Neque difficile nobis foret, hanc sententiam, ceu longe magis patentem, adstruere, eamque recensione eruditione venerabilium ac longaeuorum Theologorum, Iuris consultorum et Philosophorum confirmare, si propositi nostri ratio id concederet.

Ve-



Verum enim vero animi labores non solum sanitatis et vitae longae, sed et honorum egregium sunt praesidium, dicti nostri veritatem vel solo hoc corroborante proverbio: *Labores largiuntur honores*. Hi autem non solent esse constantes, nisi continuatis animi exercitamentis ac virtute suffulciantur. Nam Dii bona sua, ad quae honores praesertim referendi, mortalibus non nisi vendunt laboribus.

Haec praefandi commodam nobis praebuit occasionem clarissimus et dignissimus honorum Doctoralium Candidatus,

## IOANNES ERNESTVS GREDING;

Ad cuius laudabile vitae ac studiorum curriculum recensendum nos nunc accingimus.

Natus est Vinariae d. 22. Jul. 1718. patre, integro animi viro, BETHMANNO HENRICO, Serenissimi Ducis Saxo-Vinariensis et Ifenacensis regentis, DN. ERNESTI AVGVSTI, Domini territorialis, Nutritoris et Rectoris nostri Magnificentissimi ac longe clementissimi, olim a cubiculis, aulaeque ipsius comarum adscititiarum confectore, et matre IOANNA SOPHIA ENGEMANNA, Zizensi, probae virtutis femina. Optimi parentes, ut ea studia, quibus puerilis aetas impertiri debet, edoceretur filius, nullis sumptibus pepercerunt. Anno aetatis nono in Gymnasium Vinariense deductus atque praecceptore vltus DN. REINHARDO, chori tunc temporis directore, nunc vero SS. Theolog. et Philosophiae Doctore celeberrimo, ac verbi diuini ministro maxime reuerendo, prima linguae Latinae fundamenta posuit. Eo iam tempore, suasu praecceptoris laudati, litterarum studiis animum addixerat, quum vero parentes carissimi d. 16. Nouembris 1728. domicilium suum Vinaria Graizam Ruthenorum transferrent, Noster etiam isto adductus et per longum temporis spatium cum variis morbis confictatus studia



prosequi impeditus, imo fere de spe iis amplius incumbendi deiectus fuit. Ast cum anno 1735. vir plurimum reuerendus GVOLFGANGVS CHRISTOPHORVS HERTELIVS Scholae Graizenſis inſpector conſtitueretur, de quo fama ferebat, ipſum iuuenes litterarum amore captos adeo perpolire poſſe, vt ab eo diſcedentes ad altiſſima ſtudia progredi poſſent, huius viri aduentus atque admonitiones viri doctiſſimi M. IOANNIS MATTHIAE SCHILLING, t. t. Scholae Graizenſis Cantoris, Noſtrum adeo excitauit, quo parentes optimos eo adduceret, vt ipſi muſarum caſtra proſequi permitterent; id quod tandem impetrauit. Quare a laudato iam iam M. Schilling, qui nunc munere Paſtoris Plotheniſium prope Schlaizam pie ac fideliter fungitur, ita praeparatus eſt, vt inſtitutioni aduenientis ſcholae inſpectoris et concionatoris matutini, GVOLFGANGI CHRISTOPHORI HERTELII, nunc inter coelites agentis, committeretur, qui clariffimus vir litteras humaniores tanta diligentia ipſum edocuit, vt etiam dignum iudicaret, qui anno 1737. academiam petere poſſet, licet nimis lucubrationibus anno praecedente ad aliquot meſes aduerſam ſibi contraxiſſet valetudinem. Contulit ſe igitur ad inſecltam noſtram Salanam, habita prius oratione Latina de periculis vitae Academicæ, qua ſcholae vltimum vale acclamabat, et ab illuſtri Conſiliario Auſico et Iurium Profeſſore, DN. ESTORE, t. t. Prorectore Magnifico, in numerum ciuium Academicorum eſt receptus. Praeter Gallicam linguam, quam hic didicit, Logices et Metaphyſices praecepta ex ore b. CORVINI, artium clariffimi Magiſtri, hauſit, atque ſub eius praefidio et publice et priuatim diſputando ſe non ſolum exercuit, ſed et meſe Octobri 1738. *diſſertationem Philoſophicam de elementis corporum, ſpeciatim de illorum vi, obſcure repraeſentatiua*, publice defendit: non minus celeberrimi Profeſſoris Dni REVSCHII praelectiones publicas in Theologiam naturalem et pneumaticam hypotheticam diligenter frequentauit. Ex illuſtris



firis Consilii Aulici et Professoris Medici ac Philosophici Dn. **HAMBERGERI** ore fere perpetuus pependit, siquidem ipsum *Mathesin* puram et applicatam, nec non sua *Physices* elementa explicantem attente audiuit, Collegioque ipsius *Algebraico* nunquam non interfuit. Praeter recitationes philosophicas sedulo etiam frequentauit praelectiones et demonstrationes medicas ab ipso institutas, scilicet *Anatomicas*, *Physiologicas*, *Pathologicas*, *Semioticas*, *Chemicas*, de materia medica, methodo medendi generali, praescribendis formulis, atque *Chirurgicas*. Porro illustris Consiliar. Aulic. et Professor. Ordin. Dn. **TEICHMEYERI** lectionibus publicis *Anatomicis* et *Botanicis* maxima cum voluptate interfuit, ipsumque vtriusque sexus cadauera artificiose secantem demonstrantemque attentus vidit. Sicut etiam illustris et venerabilis totius Academiae Senioris et Consilii Aulici Dn. **WEDELI** praelectiones publicas de methodo medendi negligere religioni sibi duxit: neque scholas nostras publicas *Pathologicas*, *Semioticas* et de materia medica frequentare est oblitus.

Fundamentis in nostra academia solide iactis etiam doctores extra eam degentes audire ex eorumque praeceptis ingenium vltius perpolire cum secum constituisset, anno 1739. medio mensis Octobris Lipsiam profectus atque a Rectore Magnifico Dn. **HOMMELIO** ciuitate Academica donatus ibidem non solum linguae Anglicanae et Italicae notitiam sibi comparauit, sed mox sedulo auscultauit viditque Excellentiss. Dn. Profess. **HEBENSTREITIVM**, anatomiam praelegentem et vtriusque sexus cadauera eleganter incidentem; Celeberrimum Professor. & D. **IVDWIGIVM** praelectiones et excursiones botanicas atque demonstrationes anatomicas instituentem et Boerhauii elementa medica explicantem, aliisque acroasibus suum commilitonumque ingenia excitantem. Sub huius etiam viri praesidio d. 31. Augusti 1740. quaestionem medicam: *an fluidum neruum nutrire possit?* proprio Marte elaboratum publice defendit. Clarissimi et experientissimi quoque D. et Profess. **GVNZII** recitationes publicas de arte obstetricia frequentauit. In Chemia clarissimum doctissimumque virum **IOANNEM ANDREAM CRAMERVM**, Boerhauii elementa Chemiae explicantem et experimentis corroborantem est secutus. Ex illustris Dn. **PLATNERI** praelectionibus *Chirurgicis* priuatis, et publicis in *Pathologiam*, *Semioticam*, *Hygienem* et *Therapeuticen* ad ductum Boerhauii habitis; atque illustris Facult. Med. Decani perpetui **WALTHERI** exercitamentis publicis de therapia speciali, materia medica atque praxi multum percepit com-



commodi. Vt vero ad hanc exercendam non profus rudis accederet, non solum nosocomium Lipsiense singulis hebdomadibus bis ingressus, sed et sub moderamine experientissimi clarissimique D. HARTRAMFFT creberrimam occasionem nactus est omnis generis aegrotos inuisendi ac cautelas, quas in collegiis practicis didicerat, in morbis decumbentium cura applicandi. Atque laudabilia haec exercitamenta non destituta fuere exoptato successu: postquam enim *Noster* mense Iunio anni currentis Lipsiam cum Cygnea permutauit, praxin crebram et felicem huc vsque, DEI gratia adspirante, ibi est expertus.

Vt vero in praxin medicam eo cum maiori nominis sui fama et plurium aegrotantium solamine in posterum incumbere posset, ad Academia[m] nostram, ceu primam suorum studiorum matrem, reuersus ab inclyta Facultate Medica decenter petiit, vt ad praestanda examina, quibus ad consequendos honores Doctorales opus est, admitteretur. Cum igitur ad haec beneuole admissus optime in iis steterit, nihil restat, quam vt eruditionem suam solidam publico etiam probet auditorio. Quapropter, gratiose Facultatis nostrae consensu, d. XXVIII. Nouembris sub praesidio illustri Consilii Aulici TEICHMEYERI mascule defendet Dissertationem inauguralem de *Cadaueris inspectione siue sectione legali*. Quem actum vt Magnificus Dn. Prorektor, venerandi Academiae Patres, Hospites O. O. honoratissimi, et praesertim generosus ac nobilissimus commilitonum flos exoptata sua praesentia eximie ornare velint, est, quod ab iis omni obseruantia et humanitate, nomine Collegii nostri, peto atque concedo. P. P. sub sigillo Facultatis Medicae MDCCXLI.  
d. XXV. Nouembris.













01 A 6551

ULB Halle 3  
002 937 832




f  
se


WMA











34.  
33

SIMONIS PAVLI HILSCHERI

MEDICINAE DOCTORIS

THEORETICES PROFESSORIS PVBLICI ORDINARIII SERENIS-  
SIMIQVE DVICIS SAXONIS GOTHANI ET ALTENBVR-  
GENSIS CONSILIARIII AVLICI

H. T.

FACVLTATIS MEDICAE DECANI

---

PROLVSIO

DE

ANIMI LABORIBVS, EGREGIO  
SANITATIS, VITAE LONGAE  
AC HONORVM PRAESIDIO

---

PVBLICAE INVITATIONI

AD

DISSERTATIONEM INA.VGVRALEM  
DE

CADAVERIS INSPECTIONE

SIVE

SECTIONE LEGALI


D. XXVIII. NOVEMBRIS HABENDAM

PRAEMISSA.

---

IENAE D. XXV. NOVEMBRIS MDCCXLII.

---



LITTERIS SCHILLIANIS,